



21.  
Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIS FEVDALIS  
DE  
**FELONIA DOMINI,**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
DOMINO  
**FRIDERICO AVGVSTO,**  
ELECTORATVS SAXON. HEREDE,  
ETC. ETC. ETC.

*SVB PRAESIDIO*  
**IO. GODOFREDI HARTVNGII,**

D. ET PROF. JVR. EXTRAORD.

PUBLICAE DISCEPTATIONI  
*AD DIEM XXVIII. APRILIS MDCCCLIV.*

SVBMITTIT

AVCTOR

**JOANNES ERDMANNVS PILACCIVS,**  
DAHMENTIS SAXO.

---

VITTEMBERGAE,  
STANNO KOBERSTEINIANO.

21

DISSERTATIO JURIS FEUDALIS

FELONIA DOMINI

OVANI

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMO

FRANCISCO PRINCEPS DE DENING

DOMINO

FRIDERICO AVGVSTO

LECTORIS Saxon. HERED.

ET C. ET C.

IN BRANSBURG

IO. GODOFREDI HARTVNGII

D. ET PROR. JUR. EXTRAORD.

PUBLICAE DISCEPTATIONI

AD DIEM XXVII APRILIS MDCCCLXXII

27 APRILIS

LECTOR

JOANNIS ERDMANNVS BRACCHVS

DANLIVS ARAD

BRANSBURG

STANS KOBERSTEINIANO





J. N. J.

§. I.

**T**ertius agitur annus, ex quo in Academia Halens. Dissertatio habita fuit de *felonia domini*, sub praesidio Dn. CHRIST. THOMASII, cuius auctor ANTONIUS ULRICUS VOELCKER, Eques Brunsvicensis, inscriptus est. In hac Dissertatione communis Feudistarum sententia, qua dominus aequae ac vassallus felonia amittere id, quod in feudo iuris habet, existimatur, impugnata, speciatimque KNIPSCHILDUS refutatus est, qui speciali libello de obligatione domini erga vassallum scripto inter alia illam doctrinam plenius Cap. II. et III. executus est.

*Occasio scribende dissertationis.*

§. II.

Qui labor quamvis eo nomine, quod aliquid novi adferat, parum culpari posse videatur, maxime cum Dn. Auctor perpetuis ratiocinationibus usus sit, argumentumque dissertationis tale sit, cuius pudere nobilem hominem non possit: tamen nescio, an apud omnes locum eundem inuenturus sit. Ego certe, etiamsi in numero eorum haberi nolim, qui parum de genuinis fundamentis solliciti, non nisi aliorum uestigia sequi, et cum veterum caterua iam si

*Causa et ratio scribendi.*

A

non

non sepultam resuscitare, certe in agone constitutam uenerari Glossam, communisque opinionis auctoritatem, consueuerunt: tamen non possum diffiteri, me illis ratiocinationibus adduci penitus non potuisse, ut a communi sententia recederem.

## §. III.

*Ordo et  
methodus  
scribendi.*

Cuius rei causas iam ordine exponam, sic quidem, ut nihil personarum aut odio, aut auctoritati tribuatur, sed rationum argumentorumque momentis res utrimque ponderetur et uentiletur. Et quidem primum rationes, quibus communis sententia nititur, exponam: tum uero ex laud. dissertatione argumenta contraria ordine subiiciam, et singulis quid mihi replicari posse uideatur, adnectam: omnia uero, quanta fieri poterit, breuitate, abluam, cum in hoc scribendi genere ambitus uerborum saepe uim argumentorum magis inuoluat, quam explicet.

## §. IV.

*Funda-  
mentum  
Communis  
sententia.  
quod situm  
est  
1) in texti-  
bus iuris.*

Communis sententia est, dominum aequae feloniam dominium directum, ac uasallum dominium utile, amittere. Quae sententia sustinetur I. *expressis textibus iur. Feud.* Sic enim 2. F. 26. §. *Domino* scriptum est: *Domino committente feloniam, ut ita dicam, per quam uasallus amitteret feudum, si eam committeret, quid obtinere debeat de consuetudine, quaeritur? et respondetur, proprietatem feudi ad uasallum pertinere, siue peccauerit in uasallum, siue in alium. Quo cum conuenit textus 2. F. 47. quo Feudista ex facto, inquit, quaesitum scio, et ego a pluribus quaesui, si dominus contra uasallum apertam feloniam fecerit: an sicut uasallus feudum debet amittere, ita dominus proprietate priuetur? Et quidam dicunt, ex omni feloniam, qua uasallus feudo priuatur, et dominus proprietate priuetur. Alii non nisi ex magna feloniam: alii ex nulla. Sed prior sententia*

sententia mihi placet, non habita distinctione, qualis uasallus sit, utrum per sacramentum, uel non. His accedunt loca, ex quibus constat, dominum et uasallum ad paria teneri, quorum praecipua sunt 2. F. 6. quo Feudista, postquam dixit, uasallum iurantem domino fidelitatem haec sex semper in memoria habere debere, *incolumem, tutum, honestum, utile, facile, possibile*, et quid his significetur, explicauit, addit in fine: Dominus quoque in his omnibus uicem fideli suo reddere debet: quod si non fecerit, merito censetur maleficus, sicut ille, qui in eorum praeuaricatione uel faciendo, uel consentiendo deprehensus fuerit, perfidus et periurus. Et 2. F. 33. §. 1. ubi iuramentum calumniae dominis pariter atque uasallis remissum est, his uerbis: *In quibus etiam causis sacramentum calumniae a domino non exigetur: quod nuper Rex Fridericus in Romandiola constituit, ut uasallus calumniae sacramentum a domino non exigat: quod etiam a parte domini intelligendum est, ut quod quisque iuris in alium statuit, ipse eodem iure utatur.*

## §. V.

Ad textus iuris accedit II. auctoritas DD. qui fere ad unum omnes dominum et uasallum circa amissionem eius iuris, quod quisque in feudo habet, per feloniam, exaequarunt. Quod nec ipse Auctor adductae Dissertationis negare potuit §. IX. quo solum MATTH. DE AFFLICTIS *Decis. Neapol. 265. n. 4.* pro se adduxit, qui et ipse ideo, quod dominum ad iuuandum uasallum non nisi ex urbanitate adstringi dixit, a CAROLO MOLINAEO expressis uerbis reprehensus est *ad Consuetud. Paris. tit. 1. gloss. 4. §. 23.*

## §. VI.

Hanc DD. auctoritatem adhuc amplius confirmant praecudicia, quae de usu et praxi communis opinionis

nis testantur. Nam (1. testatur EUERHARDUS *loc. argum. legal. 20. n. 11. tempore suo ita practicum esse* (quae ipsius uerba sunt) *in Rege Franciae, quoad comitatum Flandriae et Artesiae. Quod ex eo repetit MOLLERUS ad Constit. El. Sax. P. I. C. 27. n. 8. et explicatius BITSCHIUS in Comment. ad II. F. 25. §. domino, n. 6. p. 405. ubi scribit, quod Regem Franciae, nempe Franciscum I. tanquam dominum ob feloniam in Carolum V. Caesarem, ut Ducem Burgundiae et uasallum commissam, illorum duorum comitatum proprietatem perdidisse, eamque Carolo Caesari acquiritam esse, iudicatum fuerit. (2. Memorat HERTIUS L. 2. paroen. ult. n. 3. ultimam comitem Meursiae ditionem suam, quae beneficiario nexu Duci Cliuensi deuincta erat, Mauritio Aurasionensi Principi donasse, quoniam Dux ille multis facinoribus patroni iura uiolasse arguebatur, ex GROTIUS l. 10. Histor. Belgic. ad A. 1601. 3.) BITSCHIUS laud. loco refert, superiori Seculo inter Ferdinandum Regem Romanorum, et Ulricum Ducem Württembergicum, inter alia hanc agitatam fuisse quaestionem, annon Ferdinandus proprietate siue dominatione feudi priuari deberet, ob capitalem accusationem, contra Ducem uasallum institutam, nec probatam. 4.) Huc quadrat locus SLEIDANI l. 6. Comment. ad A. 1520. quo Carolum V. dixisse memorat, *regnum Neapolitanum in ipsius (pontificis) quidem esse potestate, uerum si bellum iis locis fecisset, hoc eo pertinere, ut ius eius omne amitteret. Etenim quibus de causis beneficium collatum cliens, iisdem plane de causis patronus etiam dominium amittit.* 5.) Facit locus MOLLERI iam adductus, ubi ad petatum ab Euerhardo exemplum addit; *nec recentiora sui quoque temporis exempla deesse.**



## §. VII.

At haec omnia impugnat Generosiff. Auctor praedictae Dissertationis, et primum quidem, si ordo eorum, quae ab eo allata sunt, inspiciatur, quid ipse de communi sententia neget, §. III. exposuit, tum vero illud quod negat, §. IV. et seqq. rationibus assertum iuit. Negat 1) *generaliter*, feloniam domini, quam vulgo DD. in medium proferant, existere in rerum natura, sed eam potius ad classem entium rationis referendam putat: 2) *Specialiter* (1. aequalem obligationem inter dominum et uasallum intercedere: (2. dominum intuitu uasalli feloniam committere posse: (3. dominum, etiamsi uasallum laedat, amissione domini directi (ita nimirum, ut hoc cum dominio uasalli uniat) puniri debere. Ad generalem negationem iam quidem non est, ut quidquam reponatur, quia eius uel ueritas, uel falsitas ex eorum, quae specialiter negata sunt, perillustratione atque examine apparebit. Itaque haec expendenda sunt, ad ductum ipsius Auctoris.

*Fundamentum et capita aduersae sententiae.*

## §. VIII.

Et primum quidem illud, quo aequalem obligationem inter dominum et uasallum intercedere negat, primum probare aggressus est ex definitione feudi, quae 2. F. 23. habetur, ubi Obertus de Orto Anselmo filio sic feudum descripsisse dicitur, *Beneficium* (quod idem sit ac feudum) esse beneuolam actionem, qua quid ita datur alicui, ut proprietates quidem rei immobilis beneficiariae penes dantem remaneant, usus fructus uero illius rei ad accipientem transeat, ut ad eum heredesque eius masculos, siue feminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat, ad hoc, ut ille et sui heredes fideliter domino seruiant. Exinde enim, quod in hac definitione nihil de fidelitate domini, quam sc. idem praestare uicissim uasallo

*Caput I. quo negatur, aequalem inter dominum et uasallum obligationem intercedere. argumentum 1.*

fallo debeat, habeatur, concludit, uasallum domino ad fidelitatem praestandam, non uiciffim dominum uasallo, teneri, nisi ex iure mere imperfecto, aut ex uirtute, cuius intuitu in foro humano actio non est prodita, nec inter eos, qui in statu naturali uiuunt, bellum permissum. Contra uasallum iure perfecto fidelitatem debere, quia eam promiserit, quam uice uersa dominus non promiserit.

## §. IX.

*Responsio  
ad argu-  
mentum 1.  
1.) gener-  
alis.*

At enim uero, ut nihil de eo dicam, quod Feudista ibidem duas beneficii definitiones tradidit, quarum altera Philosophica est, ex SENECAE *l. 1. de benef. c. 6.* petita, et beneficium generaliter describit: altera Juridica, quae specialiter feudum, tanquam speciem beneficii, describit, illud primum generalius dicam, quod et ciuili de iure notum est, definitiones legales plerumque imperfectas esse, & interpretum commentationibus explicandas atque supplendas. Jam quanta definitionum uarietas, quas de feudo Feudalis iuris Doctores tradiderunt? manifesto argumento, in tanto interpretum dissensu aliam cum alia definitionem conferendam, nec uni simpliciter subscribendum esse. Sane si quis uel solas RITTERSHV-SII *partitiones*, quas more ueterum per dialogos non sine elegantia styli conscriptas inter scripta eius aeuu JCTorum in primis aestimo, c. 3. euoluerit, deprehendet talem cumulum definitionum, ut non immerito animum febeat mirari, quid sit, quod cum una sit rerum ueritas, tot sint unius rei descriptiones? Mihi profecto subinde hac de re cogitanti causa non minima uisa est naturalis hominum ad dissentendum procliuitas, cuius alio in argumento meminuit VLPIANVS in *l. 17. §. 6. de recept.* tum etiam, quod prauum quoddam studium circa scriptores iuris Feudalis exti-

exitit, nihil eisdem uerbis, quae prior aliquis occupasset, definiendi, de quo in simili genere, definiendae sc. Rhetorices, conqueritur celebris quondam Romanae iuuentutis magister, QVINTILIANVS *Instit. Orat. l. 1. c. 6. inf.* Sed quod idem principio eius loci de Rhetorice dixit, *eam finiri quidem uarie, sed quaestionem habere duplicem: aut enim de qualitate ipsius rei, aut de comprehensione uerborum dissensionem esse:* idem et de feudo uerum est. Nam alii in definiendo feudo uerbis dissentiunt, alii re ipsa. Alii enim mutuum fidelitatem inter dominum et uasallum et admittunt, et uerbis exprimunt, alii admittunt, nec exprimunt, alii nec exprimunt, nec admittunt. Inter priorum generum dissentientes facile conuenit: quia obseruare solent, quod prudenter laudatus RITTERSHVSIVS adducto loco monuit: *sentias cum paucis, loquare cum multis, alioquin odiosus atque inuisus eris omnibus, si uerborum pugnam excitare uelis, cum de re ipsa constat.* At inter illos et posterioris generis dissentientes conuenire non potest. Unde et HOTOMANNVS, unus ex quatuor illis illustribus FRANCISCIS, Jctis Gallicis, cum in *Disp. Feud. c. 4. tum in Comment. ad d. 2. F. 23. §. ult.* illam ipsam definitionem legalem inter alia ex hoc quoque capite impugnavit, quod nullam mentionem Obertus fecerit patrocinii, studii, beneuolentiae et fidei mutuae, quam dominus uasallo debeat. Neque uero, qui HOTOMANNO respondent, aiunt exclusam esse domini ad fidem mutuam obligationem, sed eam inclusam, et uel solo beneuolentiae uocabulo subindicatam, et subintelligendam esse tradunt, nec ante haec nostra tempora res illa in dubium uocata est, dominum se uasallo ad fidem mutuam obligari, idque perfecto, non imperfecto iure.

## §. X.

2) *Specialis.*

Sed iam pressius ad ea, quae proposita ex illa definitione, et deducta sunt, respondebo. An ex eo, quod in illa definitione feudi traditur, uasallum domini ad fidem obligari, consequitur, dominum uasallo ad fidem non obligari? an semper denegatum censendum est, quod expressum non est? annon potius locus cum loco conferendus, et alter ex altero interpretandus et pro re nata supplendus est? aut an illud tantum potest dici iure perfecto deberi, quod promissum est, nec item illud, quod ex tacita promissione, uel etiam ex immediata descendit legis dispositione? Plane illud HOBBSII dogma sapit, qui uim omnem obligationis iuris ex pacto deduxit. u. tr. *decine, c. 1. §. 10. et c. 2. §. 3. et seqq.* Quid interest, dominum uasallo fidem repromittere, nec ne? an inauditum est, aliquem tacite et ipso iure ad idem obligari, ad quod alter expressis uerbis se obligarit? annon in omnibus contractibus similiter is, qui nihil de praestando dolo et lata culpa promisit, ad ea praestanda obligatur, ac ille, qui expressis uerbis promisit? annon sufficit, dominum ipso iure Feudali ad fidem mutuum uasallo obligari? aut quis potest negare iuris dispositionem, postquam 2. F. 6. claris uerbis scriptum est, dominum in iis omnibus, quae ad incolumetum, tutum, honestum, utile, facile, possibile, pertineant, uicem fideli suo reddere debere? an haec ad ius imperfectum referemus? sane textum illum legentibus id non uidetur par esse, nec haecenus, quare id fieri debeat, causa idonea allata est. Nam illud quidem, quod non aequè promitti fides soleat uasallo a domino, ac domino a uasallo, id efficiere non potest, quod adeo non meretur, ut praeter id, quod iam responsum, amplius uerbum reponatur. Neque plus ua-  
let

let alterum argumentum, quod in illa definitione nihil de fide uicissim a domino praestanda contineatur. Nam ille locus 2. F. 23. ex loco iam adducto 2. F. 6. explicandus supplendusque est. Sane non adeo subtili mentis cogitatione opus est ad hoc, ut constet, definitionem illam feudi ex parte uasalli considerati esse, sicut plerumque solet uocabulo feudi ius uasalli in re feudali, cum suo onere, seu obligationibus uasalli, significari, licet per se latius pateat, et tam uasalli ius, quod uulgo *dominium utile* appellatur, quam ius domini (cum sua obligatione) complectatur, quod CUIACIUS *dominationem feudi*, HOTOMANNUS *ius patronatus*, ZASIVS et ROSENTHALIUS *dominium superius*, alii communiter *dominium directum* dixerunt. Unde bene Magnif. D. HORNIUS in utilissimo Opere *Jurisprud. Feud.* quod in primis etiam studiosae LL. iuuentuti loco omnium annotationum et commentationum ad *Examen STRYKIANUM* commendandum est, c. 2. §. 7. triplicem definitionem feudi, pro iure in re feudali sumti, dedit, prout uel pro illo iure accipiatur, quod habet uasallus, uel pro eo, quod dominus seu senior, uel denique pro toto potestatis, seu composito ex uariis iurium seu habitudinum moralium figuris, seu pro relatione illa inter dominum et uasallum, dominum et rem, uasallum et rem. Qui eodem loco non praeter rem dixit definitionem feudi pro iure accepti ex d. 2. F. 23. parum apte peti, cum ibi res quodammodo describatur, non accurate definiatur.

## §. XI.

*Secundo* Generosiss. Auctor idem illud, quo aequalem obligationem inter dominum et uasallum intercedere negauit, euincere et confirmare nititur percurrendo capita fidelitatis a uasallo praestandae §. V. eademque ad dominum

dominum applicando §. VI. sic ut §. VII. asserere audeat, rationi conueniens non esse, ut dominus et uasallus ad paria iudicentur. Argumentatur: Si dominus et uasallus in omnibus plane ad paria iudicantur, si nulla inter ipsos est differentia, certe etiam dominus uasallo iuramentum fidelitatis praestare, nec non seruitia feudalia exhibere obstrictus erit: Atqui posterius nec ipsi dissentientes asserere audent, cum absurditas exinde proueniens sit palpabilis: Ergo etiam eorum assertio de obligatione domini et uasalli uniuersaliter aequali atque reciproca non est uniuersaliter uera, ex propria ipsorum confessione. Cui mox subiungit aliud argumentum: Si dominus et uasallus in omnibus sunt eiusdem conditionis, dominus quoque uasallo ad exhibendam reuerentiam teneri debet, quia haec a uasallo intuitu domini expresse requiritur 2. F. 23. Atqui denuo fatentur dissentientes, quod argumentum a uasallo eiusque obligatione ad dominum non procedat: Ergo sponte sua sequitur, regulam de paritate conditionis utriusque, domini et uasalli, denuo uacillare.

## §. XII.

*Responsio  
ad argu-  
mentum 2.*

Ego primum hoc monendum habeo, me non intelligere, quomodo in his exemplis et exceptionibus a regula prouocari ad ipsorum dissentientium consensum et confessionem possit, et tamen mox in fine d. §. VII. adiiici, non esse omnimodam paritatem inter dominum et uasallum, quod tamen asserant dissentientes. Quomodo iidem asserere omnimodam inter dominum & uasallum paritatem possunt, et tamen confiteri, in capite iuramenti fidelitatis praestandi, seruitiorumque feudaliu[m], nec non reuerentiae exhibendae, disparitatem conspici, dum ad haec dominus dici non possit uasallo obligari, ut uasallus domino?

mino? Sane KNIPSCHILDVS, cum quo potissimum res est, tam perspicue atque distincte in laudati libelli de obligat. dom. erga uasall. c. 3. a n. ii. ad 46. primum casus 18. proposuit, quibus dominus uasallo ad eadem teneatur, tum uero a n. 47. ad fin. 10. casus subiecit, quibus dispar uasalli et domini sit conditio, ut nullius contradictionis confusionisque iure argui possit. Nec noui quemquam, qui tantam inter dominum et uasallum obligationis paritatem statuerit, ut nulli locum exceptioni dederit. Deinde ipsum argumentum, quo conuenientia domini et uasalli circa amissionem feudi per feloniam cum recta ratione non conuenire probatur, non concludit: Dominus et uasallus non in omnibus plane ad paria iudicantur, sed aliqua inter ipsos est differentia: ergo rationi conueniens non est, ad paria iudicari in capite amittendi per feloniam iuris, quod quisque in feudo habet. Quis non uidet, sub iudice litem manere, an caput istud ad regulam, an ad exceptiones pertineat? Et regula quidem cum ualere quaeuis praesumatur, usque dum exceptio probetur, quid aliud dici potest, quam censeri dominum et uasallum ad paria etiam in capite amittendi per feloniam feudi, usque dum hoc caput a paritate exceptum esse legitimis probationibus ostendatur, quae haecenus nondum allatae fuerunt?

## §. XIII.

Unde quidquid de exemplis et casibus §. VIII. IX. X. *Caput II.* propositis sit, tamen uerum esse potest, aliis casibus dominum aequae ac uasallum uti feloniam committere, sic *quo negatur, dominum ullo casu feloniam committere posse,* ob feloniam commissam iure, quod in feudo habet, priuari posse, ut adeo hoc probandum sit, dominum nullo casu feloniam committere, nec siquidem uasallum laeserit, eo modo, quo si uasallus laesisset dominum, feudo *possit* cecidisset.

cecidisset, iure suo cadere, quod dominium directum appellatur. Itaque ad haec pergit Generos. Auctor, et §. XI. et seqq. probare nititur, dominum nullo casu feloniam committere posse, idque facit partim *positivè*, partim *remotivè*.

*Argumenta  
positiva.*

*Positivè* probare ex eo aggreditur, quod dominus ad fidem praestandam perfecte non sit obligatus, sine qua feloniam concipi non possit, quae nihil aliud sit, quam fidei perfecte debitae violatio. Hoc ipsum autem, quod dominus ad fidem praestandam perfecte non obligetur, ex eo probat, quod eam in contractu feudali non promiserit. Tum vero, ne inde consequatur, dominum impune et pro lubitu in foro externo vassallum posse laedere, distinguit inter fidem seu fidelitatem *late et strictè* dictam. Ad illam ait dominum vassallo perfecto iure obligatum esse, ex communi praecepto de nemine laedendo: ad hanc obligatum perfecte esse negat, quia eandem vassallo non promiserit, sicut contra domino promiserit vassallus.

§. XIV.

*Responsio  
ad argu-  
menta po-  
sitiva.*

At enim vero iam superioribus dictum est, non sequi, dominum vassallo non promississe conceptis verbis fidem, ergo ad eam non obligari. Est enim duplex obligatio, quae ad aliquid faciendum vel omittendum aut patiendum adstringimur. Alia est *mediata*, quae oritur proxime ex facto nostro, inprimisque ex nostra promissione: alia *immediata*, quae oritur citra nostrum factum et promissionem immediate ex legis dispositione. Utriusque generis obligatio est perfecta, si eidem vim plenam et reciprocam inesse legislator voluit. Jam etiam si prioris generis obligationem in domino non existere concedamus, tamen existere posterioris generis obligationem nemo facile negaverit, cui textus iuris Feudalis, quos iam supra §. IV. retulimus,



tulinus, non incogniti fuerint. Unde EYBENIUS in *Elect. Feud. c. ii. §. 10.* ex professo differentias uasalliticae et dominicae fidei traditurus, primam repetiit a *causa efficiente propinqua*, eam dicens fidei dominicae esse ius ipsum seu legem, per illos ipsos textus, quos dixi, fidei uasalliticae uero esse factum hominis seu pactum, quo se fidelem fore uasallus, et quidem regulariter iurato, polliceatur. Nec est, quod inter fidem late et striete dictam distinguatur. Neque enim de uerbis disceptamus, sed de re ipsa, sufficitque dominum iure legibusque ad eadem regulariter obligatum esse, ad quae uasallus domino, dominumque et uasallum regulariter, uel etiam quibusdam in capitibus, conceptis legum uerbis ad paria iudicari, siue haec ipsa sub nomine fidei fidelitatisue, siue sub alio, itemque siue sub fidei late, siue sub striete dictae nomine comprehendantur. Ut adeo res omnis huc redeat, an ex iure Feudali adducta loca possint, et quibus constet, dominum et uasallum ad nonnulla pariter similiterque et mutuo atque reciproce obligatos esse, et si eadem neglexerint, feloniam commisisse, et ob eam dominio directo uel utili priuari. Atqui talia loca iam supra adducto §. IV. exhibuimus, quibus non solum hoc, quod dominus in iis omnibus, quae ad incolumem, tutum, honestum, utile, facile, possibile pertinent, uicem uasallo reddere debeat, sed etiam illud continetur, quod et committere possit feloniam dominus, et ob commissam feloniam non minus proprietate sic priuetur, ut cum utili dominio uasalli consolidetur, ac priuetur uasallus utili dominio sic, ut ad directum dominium seu proprietatem reuertatur.

## §. XV.

*Argumen-  
ta remoti-  
ua.*

1) *directa.*

*Responsio.*

At iam loca ista impugnat Generos. Auctor §. XIII. et seqq. atque sic *remotius* sententiam suam, quod dominus nunquam committat feloniam, ob quam dominio suo directo priuetur, probare nititur. Impugnat autem, si uim eorum omnium, quae dixit, colligas, partim *directo*, partim *per indirectum*. *Directo* impugnat, dum loca ista dubia uocat. Dubia autem esse ut probet, adducit ipsa uerba 2. F. 26. §. *domino*, quo scriptum est, domino committente feloniam, *ut ita dicam*, per quam uasallus amitteret feudum, etc. Ex his ait constare, uocabulum feloniae in persona domini improprie et abusiue usurpari. Sed responde-  
mus (1. non adeo malam BITSCHII esse sententiam, existimantis, in *Comment. ad illum locum*, uerba ista excusandae latinitatis causa adiecta esse, cum uocabulum *feloniae* pure latinum non sit, sed barbarum, ut multa alia in iure Feudali, maxime cum accedat (2. dubium esse, an ista uerba, *ut ita dicam*, ab ipso primo compilatore, an uero post ab alio adiecta fuerint, maxime cum in simili 2. F. 24. §. porro ad uocem *assalierit* in quibusdam editionibus adiecta legantur uerba, *ut ita loquar*, in aliis eadem omissa sint. (3. locum cum loco conferendum esse, nempe d. 2. F. 26. §. *domino*, cum 2. F. 47. quo simpliciter scriptum est, *si dominus apertam feloniam contra uasallum fecerit*, sine ueniae petitione. (4. nihil interesse, proprie an improprie uocabulum feloniae in persona domini accipiatur, sed sufficere, quod ob easdem causas dominus proprietate priuetur, ob quas uasallus dominio utili, nisi ratio diuersitatis ostendatur, et quod hae causae communiter uocabulo feloniae comprehendantur.

§. XVI.

## §. XVI.

Porro *per indirectum* impugnat Generof. Auctor loca ista Juris Feud. Longobardici, dum eadem §. XV. et seqq. confert cum J. Feud. Germanico, asseritque, Jus Longobardicum in hac materia nullius apud nos esse auctoritatis. Probat hoc, si uim omnem argumentorum collegeris, triplici ratione, quia (1. ius Feudale Longobardicum in usum Germanorum non fuerit collectum: (2. idem cum J. Feud. Germanico pugnet: (3. in usum nunquam fuerit perductum.

2) *Indirecta argumenta.*

## §. XVII.

Quod ad primam rationem attinet, ait Generof. Auctor, ius Feudale Longobardicum in usum Germanorum non fuisse collectum, sed Germanos iam diu ante ufos esse antiqua illa collectione iuris Feudalis, cuius Codicem FREHERUS possederit, priuata quidem auctoritate conscriptum, nec a Rege quopiam Germaniae in Comitibus confirmatum, interim tamen mores patriae simplices tum temporis et omnibus notos comprehendentem: ius Longobardicum postea demum tanquam accessionem iuris Romani occasione institutarum in Germania Academicarum et Professorum ex Italia petitorum, in Academiis ipsas, et deinde in fora intrusum fuisse. Sed putandum non esse, eo ipso omnem iuris feudalis Germanici usum et auctoritatem exoleuisse. Consueuisse quidem plerosque ex Jctis Germaniae in resolutione quaestionum feudaliu obuenientium sola illa Longobardorum placita tanquam leges authenticas allegare, iuris uero Germanici ne minimam quidem mentionem iniicere, eodem modo, ut in controuersis ciuilibus ad ius Romanum tanquam ad sacram anchoram confugiant. Nihilominus tamen ius  
Germa-

Argumentum indirectum

1.

Germanicum, tam Saxonicum, quam Suevicum, in potissimis et plerisque controuersis feudalibus in Germaniae foris reuera obtinere, adeoque iuris feudalis Longobardici exiguum usum esse.

## §. XVIII.

*Responsio  
ad Argu-  
mentum  
1.*

At enim uero quamuis negari non possit, distinctas esse Germanici iuris Feudalis et Longobardici rationes, nec Longobardicum Feudale ius in usum Germanorum collectum fuisse, a quocunque tandem collectum compilatumque fuerit; tamen notum simul est et in confesso, Germanos uti Romanum ius, sic Longobardicum usu receperunt, et in iudicia pariter atque Academias introduxerunt, eoque alterius populi, qui tamen et ipse origine Germanus fuit, ius suum fecisse, et quod in gratiam ipsorum compilatum non fuit, usurpasse, et in commodum suum uertisse. Et quamuis praeterea ordo inter illa iura permaneret diligenterque seruandus sit, ut iuris domestici semper prius ratio haberi, nec adhiberi peregrinum ius, nisi in subsidium, cum patrium ius deficit, debeat, negarique non possit, interdum Doctores hosce limites transgressos esse: tamen id statim dici non potest, ius feudale Longobardicum in hac materia nullius esse apud nos auctoritatis, certe istud ex eo non consequitur, quod Germaniam ante Longobardorum ius proprio feudali iure usi fuerint. Nam res eo redit, utrum proprium et domesticum Germanorum ius Feudale in hac materia iuri Feudali Longobardico repugnet, nec ne? Sane hoc probandum erat, de quo haecenus siluerunt optimi iuris Feudalis interpretes, qui ordinem praedictum adhibendi iura decidendis causis feudalibus studiose inculcarunt, nec tamen cum ad praesentem materiam peruenerunt, quidquam de repugnantia inter

inter Longobardicum et domesticum ius tradiderunt. Ut de eo nihil dicam, sed aliis iudicandum relinquam, an sine contradictione dici possit, plerisque ex Ictis Germaniae in resolutione quaestionum feudaliū obuenientium sola illa Longobardorum placita tanquam leges authenticas allegare, iuris Germanici ne minimam quidem mentionem iniicere consueuisse, et nihilominus tamen ius Germanicum, tam Saxonicum, quam Suevicum, in potissimis et plerisque controuersis Feudalibus in Germaniae foris reuera obtinere, et iuris feudalis Longobardici exiguum usum esse?

## §. XIX.

At iam Generos. Auctor §. XVI. et seqq. eam, quam *Argumentum desiderauit*, repugnantiae inter peregrinum Longobardorum, et domesticum Germanorum ius Feudale probatiorum *indirectum* 2.

nem suscipit, dum ait, ius Germanicum ea ignorare, quae ius Longobardicum de feloniam domini eiusque poena tradat, pro eoque probando adducit *Juris Alemannici cap.*

LXIX. apud SCHILTERUM, ubi sub rubrica: Wie der Herr truwe an sinem Mann brichet/ haec leguntur: Sit ein Man Gut usse eine Herren als bescheidenlichen / das er das Gut eine andern lieh/ und wyll der Herr denne das Gut selber han/ so brichet er sine truwe an dem Man/ und hilffet ju doch nut/ er hat sin Gut nut verlorn/ er soll es wieder vordern/ das er yme sin Gut wieder liehe. Tut er das nut/ so habe er sin Gut mit rechte. Tut ine der Herr deruber Gewalt/ so claget er als dis Buch seit. Hinc subiungit ius *Feudale Saxonicum cap. 36.* quo haec habentur: Lasset ein Mann seinem Herren Gut auf (also bescheidenlich) das er es einem andern lieh/ will es der Herr darnach selber behalten/ und will es jenen nicht anlassen noch liehen / er hat kein Recht darzu das Gut

Gut zu behalten/ wenn es ist im nicht anders aufgelassen/ dann also/ das er jennem leihen soll.

## §. XX.

*Responsio  
ad argu-  
ment. in-  
dir. 2.*

Quorum textuum sensum eatenus recte expressit Geronosiff. Auctor, quatenus dixit, casum, de quo agant, hunc esse, si uasallus feudum refutauerit domino, sub conditione, ut alium u. c. Sempronium de eo inuestiat, dominus autem conditionem illam non impleat, sed feudum sibi ipsi retineat; At quod ad decisionem casus et iuris dispositionem, non recte mihi sensum eorum assecutus uidetur. Nam uerba: *er hat sin Gut nut verlorn/* non pertinent ad dominum, quasi hic dominium directum non amittat, licet fidem datam uiolauerit, sed ad uasallum, hoc sensu, ut dominus feudum refutatum retinere non possit, sed uasallum denuo de eo inuestire teneatur, et si hoc non faciat, feudum ipso iure ad uasallum reuertatur. Neque est, quod dicatur, sufficere, quod hisce textibus nihil de amissione domini directi, eiusdemque cum dominio utili consolidatione contineatur, cum tamen dominus dicatur fidem frangere, eoquod conditionem refutationi adiectam adimplere recuset, feudumque sibi retinere cupiat, consequenterque feloniam committat, in quam poena amissionis domini directi constituta non deprehendatur. Nam primum hic casus uix est idoneus, ut dominus feloniam committere dici possit, quo ipse uasallus domino uiolandae fidei causam occasionemque suppeditat, dum refutando feudum domino alium uasallum obrudere cupit, dominus autem retineri posse feudum existimat, cuius possessio molesta esse uasallo uideatur. Deinde non sequitur, hisce textibus nihil est de poena amissionis domini directi constitutum, ergo jus Longobardicum illam poenam inferens domino, qui fidem uiolauit, non potest habere locum. Sufficit,

ficat, quod haec poena non expresse istis aut aliis textibus iuris Feudalis Germanici reiecta et improbata expresse taciteue aliam poenam constituendo sit, nec necesse est, ut hoc poenae genus aliquo textu J. F. Germanici expresse constitutum sit. Nam si hoc foret, dominium directum non ex iure Longobardico, uerum ex iure Feudali Germanico fracta fide et feloniam commissa amitteretur.

## §. XXI.

Tantum itaque abest, ut Jus Feudale Longobar- *Confirma-*  
dicum eo in capite, quo disponit, ut dominus per felo- *tio respon-*  
niam aequè dominium directum, ac uasallus dominium *fionis.*  
utile, amittat, apud nos, saluo iure patrio, ualere non  
possit, eaque propter nullius sit auctoritatis, ut potius non  
solum hoc ex textibus adductis non consequatur, uerum  
etiam alia loca adduci possint, quibus dispositio illa iuris  
Longobardici si non conceptis uerbis contineatur, certe  
non obscure comprobetur. Sic enim *J. Saxon. Feud. c. 77.*  
scriptum est: *Entsaget auch der Herr dem Mann / er hat*  
*das Gut verlorn. et in J. Provinciali l. 3. art. 84. Tödtet ein*  
*Mann seinen Herren / er hat verwürcket seinen Leib und seine*  
*Ehre / und das Gut / das er von ihm hat zu lehen. Dasselbig*  
*verwürcket auch der Herr / ob er seinen Mann tödtet / und der*  
*öberst Lehen = Herr mag seine Kinder mit dem Gut an den*  
*Herren / der diesen tödtet nicht wieder geweyßen. Quorum lo-*  
*corum licet prior paulo obscurior sit, cum non liqueat,*  
*quid per uocabulum entsagen intelligendum sit: tamen pos-*  
*terior tanto lucidior est, nec esse eum de poena generali-*  
*ter et citra relationem uasalli erga dominum, dominique er-*  
*ga uasallum, in omnes statuta, qui fracta pace publica ali-*  
*os inuadant atque occidant, ut quidem uult Generos. Au-*  
*ctor §. XVIII. accipiendum, sed potius speciali respectu ad*  
*fractam fidem, quae J. Longobardico feloniam uocatur, ha-*  
*bito*

to poenam istam ad uasallos quoque occidentes dominos, et uice uersa ad dominos occidentes uasallos, applicatam, atque sic eatenus feudalem poenam effectam esse, ex ipsius inspectione art. 84. eiusdemque cum Constitutione Alberti Imperatoris Juri Feud. Saxonico subiuncta, et a Generof. Autore excitata, collatione, imprimis cum leg. i. §. Hat der Vater Dienstmann/ et §. seq. Alle andere Leute/ item §. Haben sie Lehen von dem Vater/ non obscure intelligitur, sicut etiam Glossa tam Latina, quam Germanica, ita textum interpretata est, eundemque cum iure Feud. communi seu Longobardico contulit. Minimum, etiam si Generof. Auctori, quod uelit, concederetur, id ex eo textu constaret, poenam feloniam a domino commissae, aut si hoc ipsum uocabulum feloniam displiceat, fractae a domino fidei, iure Longobard. in amissione domini directi constitutam, iuri Saxonico aduersam non esse, nisi alia poena expresso iure Feudali Saxonico constituta ostendi possit, quod haetenus factum non est, nec fieri potest. Nam quod Generof. Auctor eod. §. XVIII. ex alleg. art. 77. *Juris Feud. Sax.* sequentia pro se adducit: Beraubet aber der Herr seinen Mann/ er mag das wohl klagen auff ihn/ und darzu alles im Gericht/ das er ihn hat vor seinen Landrichter/ und mag sich sein weren/ und darff ihm darum sein Gut nicht aufflassen/ quasi hisce uerbis non asseratur, quod dominus uasallo datum dans priuetur dominio directo, sed solum, quod uasallus dominum de damno dato resarciendo conuenire possit coram iudice prouinciali, id rem non exhaurit. Nam iis uerbis tantum hoc continetur, uasallum, si a domino praeter causam feudo spoliatur, non debere terreri auctoritate domini, ut illud eidem relinquat, uel conceptis uerbis refutet, sed posse adire iudicem, et ius suum  
 contra



contra dominum perfequi. Nihil uero habetur de eo, quod uasallus damni restitutionem tantum postulare possit, aut quod dominus praeter damni restitutionem poena affici non possit. Quid ergo obstat, quo minus iudex secundum ius Feudale Longobardicum, quod in subsidium iuris Saxonici receptum esse nemo negat, domino proprietatem in poenam fractae fidei abiudicare, et in uasallum transferre possit? Neque denique est, quod contra adductum pro nobis *art. 84. Jur. Prouincial.* Generos. Auctor ultimum in fine d. §. XVIII. monuit, dominium directum, etiamsi domino, qui uasallum occidit, auferatur, tamen secundum textum illum non cum utili uasalli dominio consolidari, quod Jus Longobardicum et communis sententia uelit, uerum acquiri domino superiori. Nam si per uerbum *oberst Lehn-Herr* intelligas dominum territorialem, qui et ipse saepe *Lehn-Herr* uti saepe numero allodium *Lehn/et dominium rei allodialis uenditae resignare die Lehn auflassen/* dicitur, salua res est, et sine dubio dominium directum omnino etiam secundum illum textum cum utili uasalli dominio consolidatur: Si uero per *oberst Lehnherren* intelligas superiorem dominum feudalem, etiam tunc fieri potest, ut dominium illud directum, quod intermedium dominus, idemque occisor, respectu subuasalli habuit, cum uasalli utili dominio consolidetur, si uel initio dominus superior in subinfeudationem consensit, uel post occisi subuasalli liberos in locum uasalli occisoris recipere non recusat. Quodsi uero neutrum concurrat, nec superiori domino posse inuito per consolidationem nouum uasallum obrudi existimare uelis, exceptio est a regula, quae eandem in casibus non exceptis confirmat.

## §. XXII.

Quod denique ad tertiam rationem eius rei, quod ius

C 3

*Argumentum indirectum 3.*

Longobardicum de feloniam domini et eius poena disponens nullius apud nos sit auctoritatis, attinet, quod si ius istud Longobardicum in eo capite nunquam fuerit ad usum perductum, eam tali argumento proponit Generosus. Auctor, quod a defectu exemplorum petitum est. Hunc enim defectum negat ex potentia dominorum esse, quod tamen alii propemodum ad unum omnes affirmarunt. Sed non puto necesse esse huic rei inhaerere, qui ualde uehementerque dubito, Doctores brocardica sua, quae Generosus Auctori tantopere displicent, ob praesumptionem boni uiri, quae eidem sufficiens uisa est, reuocatos, uel etiam propter reuerentiam dominis a uasallis debitam, cum non a uasallis, sed doctoribus iuris tradantur. Neque uero deesse exempla, ex quibus de usu istius doctrinae iuris Feud. Longobardici, non tantum actu primo, sed etiam actu secundo constet, ex iis liquet, quae supra §. VI. prolata sunt.

## §. XXIII.

At haec exempla impugnat Generosus. Auctor, quando *Caput III.* ad tertium caput eorum, quae supra §. VII. distinximus, progreditur, §. XXI. et sqq. concludendo, dominum, etiam si uasallum laedat, amissione domini directi puniri non debere, ita scilicet, ut hoc cum dominio uasalli uniatur. Nam hoc ipsum probauit (1. trium Doctorum J. Feud. auctoritate, KNICHENII, CLARI, et EYBENII: (2. eo, quod termini habiles deficient: (3. inde etiam exempla a DD. allata requisita non habeant, nec uera exempla sint. Nam quod ad 2. attinet, si uim argumentandi omnem collegeris, hoc uult Generosus Auctor, dominum directum esse aut supremum, aut intermedium: priori casu uasallum aut aequae superiores esse, et neutrum agnoscere iudicium parium curiae, qui de feloniam cognoscere, et de priuatione domini directi pronuntiare possint: aut esse priuatum,

rum, atque nec tunc conuassallis, siue paribus curiae, si iudicium feudale constituent, dari potestatem priuandi dominum dominio directo per modum sententiae iudicialis: *posteriori casu*, quando dominus sit intermedius, dominium directum non cum dominio uassalli consolidari, sed ad regem, tanquam dominum supremum pertinere, eidemque adiudicandum esse.

## §. XXIV.

Verum enim uero responderetur ad 1. argumentum, (1. *Responso* si auctoritate DD. res agenda sit, nos sine dubio superiores *ad argu-* fore, quia maxima eorum pars, ipso Gener. Auctore non *menta,* dissentiente, a nostris partibus stet. (2. KNICHENIVM *et quidem* magis de actu secundo, quam primo loqui, et magis hoc uelle, *ad argum.* doctrinam iur. Longobard. de feloniam domini et amissionem proprietatis non attendi solere, quam non attendi posse: itemque CLARUM de singularibus casibus loqui: utrumque dubitandum ea quae scripserit, scripsisse; fatente id ipso Dn. Auctore in principio §. XXIII. quo scribit, nonnullos ex Doctoribus iam ante ipsum de ueritate assertionis communis *dubitare coepisse*: EYBENIUM autem magis pro communi sententia, quam contra eam esse, quippe qui non solum id tantum tradit, frequentius uassallos de feloniam conueniri et feudis exui, quam dominos, qui rarissime, et fere nunquam (et sic tamen aliquando) proprietate priuentur: sed etiam in id inclinatur, causam eius rei in potentia dominorum et quauis alia re magis, quam in defectu iuris, sitam esse.

## §. XXV.

Ad 2. argumentum responderetur, si uterque, tam dominus *Responso* puta, quam uassallus, sit superior, non absolum a iure *ad argum.* et ratione esse, ut iudicio parium curiae se submittant, si <sup>2.</sup> nolint

nolint id facere, nihil superesse, quam ut quisque ius suum bello et armis prosequatur, atque tunc sicut dominus uasallo feudum ob feloniam commissam auferre, sic etiam uasallum ob feloniam domini sibi plenum in feudo ius asserere et uindicare posse, adeo ut titulus belli non ad ius ipsum pertineat, sed ad iuris executionem, nec tribuat pariatque uasallo ius plenum, sed competens ex iuris Feudalis dispositione ad effectum perducatur. Sin autem dominus est superior, seu ex ordine imperantium, uasallus ex ordine priuatorum, et uasallus de fide a domino fracta conqueritur, hoc iuris omnino est, ut dominus se iudicio parium curiae submittat, hoc effectu, ut pares curiae omnino sententiam iudicalem proprietatis priuatoriam pro re nata ferre et possint, et debeant, sed cuius executio deficiat, si dominus sententiam agnoscere nolit, inprimis si uasallus simul subditus sit, non quidem quod iure ita sententiam recuset dominus, sed quod de facto id faciat, et ex capite potentiae, cui resisti non possit, ut saepenumero in aliis quoque casibus et causis ciuilibus contingit, ut non ius deficiat, sed iuris executio. Neque Generosus Auctor pro eo, quod hoc casu dominus a paribus curiae priuari dominio directo per modum sententiae iudicialis non possit, quidquam attulit, quam in fine §. XXIII. quaestionem: *Quomodo enim priuabunt illum, qui poenam priuationis non promeritus est?* quae sane petit *ro èu dexxi*, et supponit, dominum imperfecto iure ad fidem obligari, quod secus esse satis opinor superioribus demonstratum est. Quod si denique dominus intermedius est, et superiorem habet, uidendum, an superior territorialis sit, an uero feudalis, sic ut feudum, de cuius dominio directo cum utili uasalli dominio ex capite feloniae a domino commissae con-

consolidando agitur, subfeudum fit. Priori casu omnino dominium directum ex capite feloniam amissum cum utili uasalli dominio consolidatur: Posteriori casu consolidari non potest per modum exceptionis a regula, quam iam KNIPSCHILDUS etiam una cum regula tradidit in memorato supra libro de *oblig. dom. erga uasall. quaest. 3. n. 45. et seqq.* quia scilicet sic per consolidationem superiori domino inuito uasallus obruderetur, quod iura feudalia & ipsa naturalis ratio fieri uetant. Ubi tamen exceptionis exceptio obseruanda est in casibus, quando dominus superior aut ab initio in subinfeudationem consensit, aut post non recusat in locum uasalli recipere subuasallum, qui ob feloniam a uasallo isto, eodemque domino intermedio, commissam dominium acquirit, quod respectu subuasalli omnino directum dici potest. Nam hisce casibus cessat ratio exceptionis, quod domino superiori inuito uasallus obrudatur.

## §. XXVI.

Ad 3. argumentum respondetur, (1. exemplis plane superfederi posse; (2. quae prolata sint supra §. VI. pro exemplis omnia suo modo admitti posse. Nam quod Generos. Auctor circa primum exemplum §. XXVIII. monet, maxime dubium esse, an Franciscus, Rex Galliae illud iudicium, quo dominium directum comitatus Flandriae et Artesiae Carolo V. Imperatori adiudicatum fuerit, pro competente agnouerit, eiusque decisioni causam illam subiecerit, illud tale est, quod in summos imperantes, speciatimque in duos potentissimos principes, eosdemque acerrimos potentiae et uirtutis aemulos, non quadrat. Quis enim expectaret a Francisco, ut se iudicio parium curiae subieceret, et sibi aliquid abiudicari pateretur? aut

*Responsio  
ad Argum.  
3.*

D

quis

quis, cum recusat, id iure fecisse diceret, aut Carolum negaret contra obstinatum aduersarium ui et armis ius suum exequi potuisse, cum si hoc non foret, nihil facilius foret, quam pertinacia alteri ius suum eripere? Sufficit, Franciscum fidem uiolasse, et pares curiae Francisco dominium directum praedictorum comitatum abiudicasse, nec Carolum V. alio modo, quam bello et armis sententiam exequi potuisse contra aduersarium, qui nihil Carolo nisi coactus dedit. Neque obstat, quod Franciscus demum in pace Cameracensi An. 1529. supremo dominio comitatus Flandriae et Artesiac renunciauit. Nam hoc ipsum quoque ad pertinaciam et calliditatem Francisci pertinet, qui tam diu renituit, quam diu potuit, maluitque uideri facto et titulo belli amisisse, quod ipso iure amiserat. Porro quod ad secundum exemplum Generos. Auctor §. XXXI. ait (1. falsum esse, quod Dux Cliuiaie fidem uiolauerit: (2. actionem Comitis Meursiae aduersus Ducem Cliuensem a Camera fuisse reiectam, illud utrumque (1. ex adductis locis non satis probatur, unde et ipse Generos. Auctor eadem tantum illustrantia appellauit: (2. tale est, quod, si concederetur, nobis et sententiae communi, quam defendimus, non multum obest. Nam si falsum est, Ducem Cliuiaie fidem uiolasse, non potuit non actio Comitis Meursiae aduersus Ducem Cliuensem a Camera reijci. Sic autem non negatur, dominum directum ob fidem fractam proprietate feudi priuari posse, sed hoc tantum negatur, Ducem Cliuensem talem dominum fuisse, cui ob fractam fidem dominium directum auferri potuerit. Idem respondetur ad ea, quae circa tertium exemplum monita sunt §. XXIX. Nam si secundum responsa ALCIATI et BEROI Regia Maiestas Ferdinandi aliter, quam ex iusta creduli-

credulitate ad accusationem peruenisset, caducitati omnino locus fuisset. At iam uisum fuit praedictis Ictis, non esse credendum, regiam maiestatem aliter, quam ex iusta credulitate ad accusationem deuenisse, et ideo caducitati non esse locum. Nam felonia, quod supponendum, sine dolo uel culpa non committitur. *l. F. 21. pr.* Itaque etiam si haec posteriora exempla non essent exempla amissae ob feloniam proprietatis, tamen essent amittendae uel iuste amissae, si omnia requisita adfuissent, atque sic exempla tamen doctrinae et opinionis communis, quod uti uasallus ob feloniam dominio utili, sic dominus dominio directo etiam in Germania priuari possit et debeat. Quibus rebus non est, ut ad ea, quae circa quartum exemplum monita sunt, multa respondeamus, cum iam ex iis, quid nobis dicendum uideatur, intelligi possit, quae ad monita circa primum exemplum respondimus. Neque minus MOLLERVM, quem quinto loco excitauimus, eiusdemque auctoritatem suo loco relinquemus, contenti his, quae diximus, firmiterque persuasi, communem sententiam, quam principio huius dissertationis proposuimus, et subinde repetiuimus, licet aliquantum durior uideatur, tamen relinqui ab iis, qui circa Dicastricten uersentur, saluo officio, etiam in nostra Germania, et causis Germanorum ciuium non posse.

*Conclusio.*

COROL-

---



---

## COROLLARIA.

I.

Subfeudum sine consensu domini et agnatorum, uel simultanee inuestitorum constitui potest.

II.

Idem tamen, postquam feudum ad agnatos uel simultanee inuestitos successione deuolutum, uel ad dominum reuersum, extinguitur.

III.

Vasallus qui sine consensu domini feudum alienat, feloniam committit, ob quam feudo priuatur.

IV.

Supponendum tamen (1. uasallum dolose consensum domini neglexisse: (2. alienationem traditione consummatam esse.

V.

Consummata autem per traditionem alienatio etiam tunc est, quando traditio breui manu per constitutum possessorium facta est.

VI.

Alienando tantum sine consensu agnatorum uel simultanee inuestitorum feudum uasallus feloniam non committit.

VII.

Reuocari tamen alienatum feudum potest, siue in extraneum, siue in remotiorem agnatum translatum sit.

VIII.

Et quidem intra XXX. annos.

IX.



## IX.

Non tamen filius reuocare potest, quando pater feudum alienauit.

## X.

Non commisit uasallus feloniam, nec feudo priuandus, quando seruitutem feudo imposuit sine consensu domini et agnatorum, uel simultanee inuestitorum, aut seruitutem feudo debitam remisit.

## XI.

Neque etiam incestu uasallus feloniam committit, feudoque priuandus est.

## XII.

Committit tamen omnino parricidio, feudumque amittit.



CONCORDANTIA

IX

Non carere sine ratione potest, quando facti est  
designavit  
Non committit nihil, sicut nec tunc in  
quando scilicet tunc in ratione  
et per se, ut in ratione  
non tunc scilicet tunc

X


Non enim inesse nihil scilicet committit  
hocque potest est


XI

Committit tamen omnino participio, secundum  
m









21.  
Q. D. B. V.  
DISSERTATIO JURIS FEVDALIS  
DE  
**FELONIA DOMINI,**  
QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**DOMINO**  
**FRIDERICO AVGVSTO,**  
ELECTORATVS SAXON. HEREDE,  
ETC. ETC. ETC.

*SVB PRAESIDIO*  
**IO. GODOFREDI HARTVNGII,**  
D. ET PROF. JUR. EXTRAORD.

PVBLICAE DISCEPTATIONI  
*AD DIEM XXVIII. APRILIS MDCCCLIV.*

SVBMITTIT  
AVCTOR  
**JOANNES ERDMANNVS PILACCIVS,**  
DAHMENTIS SAXO.

---

*VITTEMBERGAE,*  
STANNO KOBERSTEINIANO.

